

tamen, hoc est, quod meritò mireris, viros alioquin acutè cernentes, non vidisse, elegantissimam hanc ordinatissimamque mundi, adeò multis ac innumeris partibus constantis, structuram ab æterno esse, aut fortuitò coalescere non potuisse, sed causam aliquam sui efficientem necessariò agnoscere. Omnis namque compositio, cum primis partium innumerabilium generumque diversissimorum, & ea quidem ordinatissima constantissimaque, causam quandam componentem arguit ac præsupponit, eandemque non casu, sed cum ratione sapienteq; consilio agentem. Dumque res mundi maximam partem omni ratione, omni cognitione, omni vita carent, & eæ tamen non minus ac viventes, cognitionis atque rationis compotes, ita dispositæ in mundo sunt, ut, varias licet per vicissitudines, non singulæ solùm ad suum proprium, sed etiam universæ in totius Universi finem, lege quâdam immotâ, contendant atque conspirent: facile concludi poterat, non potuisse hæc omnia fortuitò sic coire, sed à causâ quâdam, ut potentissimâ, sic & sapientissimâ, hac ratione disposita, proindeque ab æterno non esse. *Uti, qui præter se hominem conspicit neminem, si telum viderit emissum, rectè colligat, hunc inanimæ rei motum esse ab aliquo, qui occulte hoc telum librarit: ita qui cernat res sensu expertes, sæpe etiam nec vitâ præditas, tendere ad finem certum, ac universo utilem, à quo nec aberrent, nisi impediuntur; is quoque statuat necesse est, res eas ab aliquo gubernari.* Quo simili perquam appositè hac in materiâ utitur G. J. VOSSIUS *Lib. I. de Theol. Gentil. & Physiol. Christ. s. Orig. & Progress. idololatr. Cap. I. Conatus equidem est* Celeb. Dn. WOLFIUS *Rat. Prælection. Sect. II. Cap. III. §. 37. sqv.* sicuti reliqua, pro asserendâ existentia DEi afferri solita argumenta infirmitatis, obscuritatis, imò partem falsitatis suspecta reddere, ita & adducta accusare, quasi existentia DEi demonstrandæ non sint; sed attendendum est, quanquam eadem, non quidem pro primariis existentia DEi demonstrationibus venditatis, huic interim fini satis apta iudicemus; hoc tamen loco nos iisdem istum in finem non uti, sed solùm indicare, his ex rationibus cognoscere Gentiles potuisse, mundum